

SEQVNTVR VERSVS.

*Maria mira sonat breuiter quod talia tonat.**Gummis cum binis fugitiuum figit in imis.**Horis in crinis tria vincit fortia finis.**Maria Lux roris ligam ligat in tribus horis.**Filia Plutonis consortia iungit amoris,**Gaudet in assata sata per tria sociata.*EXPLICAT LIBER MARIAB  
Sororis Moyfi.

**LIBER SECRETORVM AL-**  
**CHEMIAE COMPOSITVS PER**  
*Calid filium lazichi, translatus ex He-*  
*braeo in Arabicum, & ex Ara-*  
*bico in Latinum, incer-*  
*to interprete.*

*Praefatio de difficultate Artis.*

**G**RATIAE sint Deo omnium creatori, qui nos conduxit & recoluit, & docuit, & intellectum & scientiam nobis dedit. Nisi Dominus nos custodiret & conduceret, essemus sine custodia, & sine doctore tanquam erronei, imò huius Mundi nihil sciremus, nisi ipse nos doceret, qui principium est, & scientia omnium, sua potentia & bonitate super populum. Qui dirigit & erudit quem vult, & reducit sua misericordia ad viam iustitiae. Misit enim nuncios suos ad tenebras, & vias explanauit, & sua misericordia repleuit suos diligentes. Scias frater, quòd hoc nostrum magisterium de lapide secreto, & officium honoratum, est secretum secretorum Dei, quod celauit suo populo, nec voluit vllis reuelare, nisi illis, qui fideliter tanquam filij meruerunt, & qui eius bonitatem & magnitudinem cognouerunt. Qui enim secretum Dei postulat, necesse est ei hoc secretum magisterij plus quàm aliud. Et sapientes qui illud